



Theophili Raynavdi Societatis Iesv Theologi, Opera Omnia

Tam hactenus inedita, quàm alias excusa, longo Authoris labore aucta & emendata : Accessit Tomvs Integer Complectens Indices Septemdecim in vniversum Opus, omnium quotquot prodierunt locupletissimos, Qvibus Absolvts Divinae Av Humanae Eruditionis Thesaurus Orbi literato aperitur ; Adiectus est ...

Raynaud, Théophile

Lugduni, 1665

Epistola Evcharistica Theophili Raynavdi Ad Serenissimam Christinam A Francia Caroli Emanvelis II. Matrem, cùm ipsa Editionem Operum Theophili sibi cordi fore restata esset.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79561](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79561)

EPISTOLA EVCHARISTICA
THEOPHILI RAYNAVDI
AD SERENISSIMAM
CHRISTINAM A FRANCIA
CAROLI EMANVELIS II.

Matrem, cum ipsa Editionem Operum Theophili sibi
cordi fore testata esset.



QVOD opus CAROLO EMANVELI DVCI inuictissimo in fidei & obseruantia mea
authoramentum iam antea consecraueram, idem hodie tibi nuncupare minime vereor (PRIN-
CEPS AVGVSTISSIMA.) Neque tamen munus istud qualecunque meum, quod ne vestrum
quidem vni par esse possit, avarâ quadam sordidâque parcimoniâ ambobus diuido; quippe quos
regiarum Virtutum societas, maternus amor unum ita semper effecerint, ut nullatenus dici
queat alteri tribui, quod alterutri voueatur. Accedit quod Liber istè rediturus in diem me-
liori profecto in lumine collocari non poterat quàm sub eruditissimorum tuorum radiis; nec alius ad conspè-
ctum extare, quàm si Tua se Celsitudini propius sisteret, quæ sic eminet omnibus, ut non imminuat; ita regis
singulos ut opprimat neminem, & secus quàm res arduæ soleant, sic in edito sita fastigio extra apicem om-
nem assurgit, ut facilem tamen mollemque ad se prestet accessum. Ea enim verò singularis tua laus est (PRIN-
CEPS HUMANISSIMA) in excelsa illâ, quâ circumambiris Maiestate, liberam tui adeunde co-
piam omnibus facere; quos diuina frontis dignitas reuerenter arcere posset ac retardare, eosdem blandè reni-
denti comitate, suauique verborum indulgentiâ confidenter allicere, ornare officiis, fouere gratiâ, ditare do-
nis, complecti sinu, autoritate tueri literarum amantes viros, planè ut dum, Carolus filius semper Maxi-
mus, semper inuictus, maximum & immortale Augusti nomen meritis implet, auræ tu Maccenatis munificen-
tiam superasse videaris. Quamquam quid mirer ego, clarissimos huiusce temporis Scriptores tantis à se studiis
impensè diligere, quæ scribenda venturis sæculis non modo facis, sed scribere etiam posteris omnibus perlegendâ?
Hoc scilicet unum debeat ad gloriâ tuâ magnitudinem; ut quæ Palladem heroicâ fortitudine iam exprefleras,
eandem politionum artium scientiâ propius adquareas; nec ceteros iam Europa Principes providam ac sapien-
tem in consiliis, in rebus gerendis acrem, in regendis populis moderatam doceres administrationem, sed palmares
etiam ac lauratos ipsius Parnasi vates instrueres, quid ingeniose fingere, quid acutè loqui, quid eleganter scri-
bere oporteret. Sentis, credo, hîc me tuos versus loqui (PRINCEPS ILLVSTRISSIMA) cultos il-
los, concinnosque, & omni vernantium leporum amenitate florentes versus, quos à Te sæpius mirati sunt præstan-
tis ingenij nominisque Poëta, & inuidissent profecto, nisi pulchrum esset à Principe vinci, cuius vel ingenio vel
liberalitati veltigales sese omnes disciplina protendentur. Et enim scientias alias scriptoresque sileam, quibus auræ
tu semper splendorem, præliumque fecisti, quantæ fuit illud erga me humanitatis ac munificentie, quod rogata
nuper, meos ut libro sue dicam an liberos, certè ingenij fatus prolixâ, quâ soles, benignitate susciperes. Ego ve-
rò, dixisti, non suscipiam modo teæque amplitudinè nominis, sed quibuscunque etiam potero impensis ac sum-
ptibus liberaliter alam & promouebo: In quo quidem geminum agnosco beneficium, & quod non verbis solum ho-
norificentissimis, verum etiam factis, opibusque liberalem te præbueris, & quod sponderis homini beneficen-
tiam, qui sine suo, sine inuidenti fortune vitio, non is semper apud te fuerat, quem alij ullis beneuolentia signis,
nec dum regiâ huiusmodi largitate cohonestandum iudicarent. Fecisti tamen præter spem omnem ac meritum; at-
que utinam quemadmodum expectationem nostram meritâque tot exquisitis gratiis superasti, ita & vota ali-
quando vincas, quibus non iam prosperam tibi sortem in omnibus, non potentiam, virtutem, sapientiam,
fortitudinem. (Quid enim ex pro te rogemus superos, quæ in te iam vbertim congesta suspicimus) sed post ade-
ptam, quantam maximam consecuta es immortalitatem famæ, perennem denique vitæ felicitatem exopta-
mus. Hanc tibi vouet publicis precibus tuæ vnicæ Celsitudini deuota Societas. Eandem ego priuatus voueo,
neque subditi tantum nomine me tuæ totum potestati æterno sacramento mancipatum addictumque profiteor,
sed mentis etiam ingenique partus, quò nulla pertingit vis & imperium, tibi lubens subicio dedicoque, vtpote
immortali Principi, dignæque, quæ non corporibus tantum imperet sed in ipsos etiam animos diuino iure dominetur.
Vale & Faue. Lugduni 1. Octobr. 1663.

EPISTOLA